



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1514. usque ad annum 1520

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1769

VD18 90118464

§. 64. Lutheri liber de captivitate Babylonica

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66414](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66414)

Sæcul. XVI.
A. C. 1520.

§. LXIV.

*Lutheri liber de captivitate
Babylonica.*

*Sleidan.
comm. de
Statu Relig.
& Reip.*

*Cochl. l. cit.
an. 1520.
p. 26.*

Verum Lutherus, ubi Constitutionem jamjam promulgatam, suosque errores debita solemnitate damnatos cernebat, jam omnia modestiæ repagula effringens librum edidit, quem inscripsit *de captivitate Babylonica*; in eo tam protervos divulgavit errores, ut eorum perveritas propositiones mox a Papa confixas longe excederet: Præprimis sese indies magis illuminari jactitat, dein prosequitur, poenitet me eorum, quæ ante biennium adhucdum Romanæ Curiae superstitionibus immerfus de indulgentiis docui. Tum necdum eas penitus rejiciendas censui, nunc vero cognosco *illas aliud non esse, quam meras adulatorum Romanorum imposturas, quibus & fidem Dei, & pecunias hominum perderent.* Displicet mihi ea moderatio, qua tum Papatum humani saltem juris esse admittebam, nunc vero scio, & certus sum, *Papatum esse Regnum Babylonis, & potentiam Nembroth robusti venatoris.* Scripseram olim, conveniens fore, ut utramque Sacramenti speciem Laicis porrigendam esse Concilium generale statueret, nunc vero conabor ostendere, *omnes esse impios, qui utriusque speciei communionem Laicis de-*

ne-

negant. Hucusque septem dari Sacra-
 menta affirmabam, nunc *tria tantum pro*
tempore dono, Baptismum, Pœnitentiam,
 & *Panem.* Denique summa arrogantia
 in Romanam Ecclesiam, a qua primum
 damnatus erat, apertis furiis tumultua-
 batur, atque inter dogmata, cujus fun-
 damenta subvertere tentabat, præprimis
Transubstantiationis articulum impugnabat.

§. LXV.

Lutheri opinio de Eucharistia.

Agitabat quoque Lutherum cunctis
 contradicendi libido, ut etiam realem
 Christi Domini præsentiam in Evchari-
 stia negaret; idque satis aperte declara-
 bat in quadam ad Argentinenses episto-
 la, in qua hæc scribit, gratissimum pro-
 fus mihi accidisset, si opportuna mihi ob-
 venisset occasio hanc quoque sacramen-
 talem præsentiam inficiandi; nil enim
 aptius meum Papatui nocendi proposi-
 tum juvisset. Attamen nimium eviden-
 ter convictus erat de illius veritate per
 ipsam vim, ac perspicuum horum ver-
 borum sensum: *Hoc est Corpus meum,*
Hic est Sanguis meus: hoc corpus tradetur
pro vobis; hic sanguis novi testamenti: hic
sanguis effundetur pro vobis in remissionem
peccatorum. His verbis convictus nun-
 quam Lutherus sibi persuasum reddere
 poterat, quod Christus Sacramenti sui

Sæcul. XVI.

A.C. 1520.

*Epist. ad Ar-**gentin. t. 7.**fol. 501.**Inter opera**Luth. l. de**capt. Bab. t.**2. fol. 60.*